

det, & intercedit pro nobis: quem solum Deus proposuit Re-
conciliatorem, interueniente sanguine ipsius. Rom. 8. & 3. Rom. 8. v. 34.
Rom. 3. v. 25.
Hebr. 5. v. 16.
Ad gratiæ eius thronum, Epistolæ ad Hebræos Autore, cum fi-
ducia accedere iubemur, vt misericordiam consequamur, &
gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

XXII.

Aut ergo vt Dij, seu diuini Opitulares, aut vt Mediatores
inuocandi Sancti sunt: quod tamen vtrumq; , non citra Idolo-
latriæ peccatum, & in meritum Christi summam blasphemiam,
à viuis fieri posse, ex superioribus Sole clariùs elucet.

XXIII.

Et Luc. 17. Saluator ipse, in vniuersum & viuis & mortu-
is nulla posse esse merita, quibus, in se consideratis, vel se vel ali-
os coram Deo iuuare possint, apertissimè testatur: Sic & vos,
dicens, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite:
serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

XXIII.

Nihil verò quicquam Pontificij distinctionibus suis, sine
vlla S. Scripturæ autoritate confictis, proficiunt. Eadem enim
Scriptura Inuocationem non minùs, quàm Adorationem di-
fertè Deo tribuit Psal. 50. & 91. Item: verba, seruiuit, incuruatus
est, flexit se, & similia, sine discrimine ad Deum & homines vi-
uos, nusquam autem ad Sanctos de mortuos refert. Eadem de-
nique Scriptura indifferenter *δουλείας* & *λατρείας* cultum ipsi
Deo multis in locis transcribit. Psal. 50. v. 15.
Psal. 91. v. 15.
Matth. 4. v. 10.
Act. 20. v. 19.
Rom. 16. v. 18.
1. Theff. 1. v. 9.

XXV.

Tantò quoque minoris ponderis istæ ipsorum distin-
ctiones sunt, quòd non tantùm S. Mariam ex corrupto Psalte-
rio, putà Psal. 21. 30. 96. & alijs, adorant; sed propria etiam ipso-
rum verba (quibus Sanctos fiducialiter implorandos, & spiri-
tualia bona ex meritis illorum expectanda esse, docent) euin-
cunt, quòd Sanctis *λατρείαν* seu cultum Dei proprium tribu-
ant.

Neque